

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Phaedri Avgusti Liberti Fabvlarvm Aesopiarvm Libri V.**

**Phaedrus**

**Rintelii, MDCCXXXVIII**

**VD18 13044567**

Liber IV.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-17134**

verum etiam post fata tristis illum conditio manet. Castrati magnae deae sacerdotes, qui circulatorio more vicatim omnia circumferabant, quibus ad peragenda sacra erat opus, asinum quaestus gratia secum ducere, atque illi deportandas sarcinas imponere solebant. Cum is labore et plagis misere oppressus tandem exspirauerit: pellem mortuo detrahunt, atque tympana faciunt sibi, quorum in sacris frequens erat usus. Roganti, quidnam fido fecissent comiti suo? respondent: exantlatis tot molestiis atque laboribus, mortem sperabat sibi solatio et securitati esse tandem futuram: sed ecce, nunc aliae in mortuum illum conferuntur plagae.

## LIBER IV.

*Prologus.*

loculare tibi videtur: et sane leue,  
 Dum nihil habemus maius, calamo ludimus.  
 Sed diligenter intuere has naenias;  
 Quantam sub illis vtilitatem reperies?  
 Non semper ea sunt, quae videntur, decipit  
 Frons prima multos, rara mens intelligit,  
 Quod interiore condidit cura angulo.  
 Hoc ne locutus sine mercede existimer,  
 Fabellam adiiciam de mustela et muribus.

*Insignis fabularum usus.*

locis risuque noister fortassis tibi dignus videtur esse labor. Et profecto, quod grauius non suppetit argumentum, vt pastores tenui calamo, sic nos fictis ludimus fabulis. At si velis

at



attentione maiori lusus cognoscere nostros: mirum, quantum sub illis tibi commodum, quantumque vtilitatem promittere possis. Res aliquando longe se aliter habent, atque videntur: primo intuitu fallunt plurimos. Frons, oculi, vultus, quibus facillime sustinetur simulatio, saepe mentiuntur: et raro intelligunt homines, quid industria et sollicitudo interioribus locis occultauerit. Quod ne frustra dixisse videar: fabellam de mustela et muribus narabo.

FAB. I.

*De Mustela et Muribus.*

Mustela quum annis et senecta debilis  
 Mures veloces non valeret assequi:  
 Inuoluit se farina, et obscuro loco  
 Abiecit negligenter. Mus, escam putans,  
 Assiluit, et compressus occubuit neci.  
 Alter similiter, deinde periit tertius.  
 Aliquot secutis, venit et retorridus,  
 Qui saepe laqueos et muscipula effugerat,  
 Proculque insidias cernens hostis callidi,  
 Sic valeas, inquit, vt farina es, quae iaces.

*Fallit externa species saepe rerum incautos.*

Mustela, cum senectute confecta musculos non posset arripere veloces, farina exterius ita se volutando opleuit, vt tota videretur esse farina; et obscuro se abdidit loco, ac si res nullius pretii negligentius asseruata esset. Mus, reputans escam ibi se largam reperisse, laetus exultansque praeda, accedit atque mox comprehensus enecatur. Pari modo et alios corripuit erroris incautos, et esca potiri haud



difficiliter potuit, quae imprudentibus esca videbatur esse ipsa. Trucidatis pluribus, tandem mus venit senior, vultu animoque perspicax, qui structas sibi saepius insidias et muscipula effugerat, quemque fecerat experientia cautum. Animaduertit is, procul prospiciens, tectam hostis callidi esse fraudem: et pessima, inquit, quae ad perniciem heic male sanorum iaces, si farina esses, bene precarer tibi: pereas ergo, et male perpetuo sit tibi, vt farina non es, quam astute simulas.

## FAB. II.

*Vulpes et Vuva.*

Fame coacta Vulpes alta in vinea  
Vuam appetebat, summis saliens viribus:  
Quam tangere vt non potuit, discedens ait:  
Nondum matura est, nolo acerbam sumere.  
Qui facere quae non possunt, verbis eleuant,  
Adscribere hoc debebunt exemplum sibi.

*Contemnitur frustra, quod appetenti negatum.*

Vulpes, ad propellendam famem, veniebat in vineam altam, omnique nisu extollens aliquoties sese et subfiliens vuam, maxime sibi arridentem, appetebat. Quam cum attingere, autprehendere non posset: discedit quidem subtristis; at, nondum, ait, satis matura est, eamque piget me absumere acerbam. Exemplum hoc illis narrandum est, qui, quod efficere nequeunt, verbis magnificis, se noluisse, testantur.

F

FAB.



## FAB. III.

*Equus et Aper.*

Equus sedare solitus quo fuerat sitim,  
 Dum sese Aper volutat, turbauit vadum.  
 Hinc orta lis est. Sonipes iratus fero  
 Auxilium petiit hominis; quem dorso leuans,  
 Rediit ad hostem. Iactis hunc telis eques  
 Postquam interfecit, sic locutus traditur:  
 Laetor, tulisse auxilium me precibus tuis;  
 Nam praedam cepi, et didici, quam sis utilis.  
 Atque ita coegit frenos inuitum pati.  
 Tum moestus ille: Paruae vindictam rei  
 Dum quaero demens, seruitutem repperi.

Haec iracundos admonebit fabula,  
 Impune potius laedi, quam dedi alteri.

*Inimica sibi vindictae cupido.*

Vbi sitim equus sedare confueuerat, in silua  
 vadum fluminis aper sese volutando turbauit.  
 Quamobrem lis oritur maxima. Equus, apro  
 iratus valde, cum viribus et vindictae impar  
 videretur esse sibi, auxilium implorat homi-  
 nis: vt hostem suum debellare ac vincere  
 posset. Homo vectus equo, cum telis aprum  
 transfixum prostrauisset, equum his verbis al-  
 locutus fuisse traditur: mihi gratulor, quod  
 rogatus a te, tibi opem ferre potuerim. Nam  
 ego praedam accepi valde opimam: et didi-  
 ci, quam utilis mihi esse possis. Atque ita  
 cum ephippiis frena recipere inuitum et re-  
 luctantem coegit. Tum fero illum nimis fa-  
 cti poenituit, et, vae mihi, dixit, qui leuioni  
 causa



caussa vindictae cupidus auxilium stulte quaesiui, et libertatem perdidit. Iracundis haec scripta est fabula, ut offensionem negligere, quam ipsi in exitium ruere, mallent.

## FAB. IV.

*Aesopus interpret testamenti.*

Plus esse in vno saepe, quam in turba, boni,  
Narratione posteris tradam breui.

Quidam decedens tres reliquit filias;  
Vnam formosam, et oculis venantem viros;  
At alteram lanificam, frugi, et rusticam;  
Deuotam vino tertiam, et turpissimam.  
Harum autem matrem fecit heredem senex,  
Sub conditione, totam vt fortunam tribus  
Aequaliter distribuatur, sed tali modo:  
Ne data possideant aut fruantur; tum simul  
Habere res desiderint, quas acceperint,  
Centena matri conferant sestertia.  
Athenas rumor implet. Mater sedula  
Iurisperitos consulit: nemo expedit,  
Quo pacto non possideant, quod fuerat datum,  
Fructumue capiant; deinde, quae tulerint nihil,  
Quanam ratione conferant pecuniam.  
Postquam consumpta est temporis longi mora,  
Nec testamenti potuit sensus colligi,  
Fidem aduocauit, iure neglecto, parens. 20  
Seponit moechae vestem, mundum muliebrem,  
Lauationem argenteam, eunuchos glabros;  
Lanificae agellos, pecora, villam, operarios,  
Boues, iumenta, et instrumentum rusticum;  
Potrici plenam antiquis apothecam cadis, 25



Domum politam, et delicatos hortulos.  
 Sic destinata dare cum vellet singulis,  
 Et approbaret populus, qui illas nouerat:  
 Aesopus media subito in turba constitit:  
 O si maneret condito sensus patri, 30  
 Quam grauius ferret, quod voluntatem suam  
 Interpretari non potuissent Attici!  
 Rogatus deinde, soluit errorem omnium.  
 Domum et ornamenta cum venustis hortulis,  
 Et vina vetera date lanificae rusticae. 35  
 Vestem, vniones, pedisequos, et cetera  
 Illi assignate, vitam quae luxu trahit.  
 Agros, vites, et pecora cum pastoribus  
 Donate moechae. Nulla poterit perpeti,  
 Vt moribus quid teneat alienum suis. 40  
 Deformis cultum vendet, vt vinum paret.  
 Agros abiiciet moecha, vt ornatum paret.  
 At illa gaudens pecore, et lanae dedita,  
 Quacunque summa tradet luxuriae domum.  
 Sic nulla possidebit, quod fuerit datum, 45  
 Et dictam matri conferent pecuniam,  
 Ex pretio rerum, quas vendiderint singulae.  
 Ita quod multorum fugit imprudentiam,  
 Vnius hominis repperit solertia.

---

*Cedit auctoritatis praeiudicium consilio prudentum.*  
 Plus saepe consilii in vno esse, quam in mul-  
 tis, patebit ex narratione sequenti. Cum pa-  
 terfamilias quidam e vita decederet: tres fi-  
 lias reliquit; vniam, formosam oculisque ve-  
 nantem procos; alteram, rei familiaris studio-  
 sam et rusticam; tertiam, omnium turpissimam,  
 quae



quae vino dedita quotidie bibendi consuetudine aueritatem augebat. Illarum matrem morti proximus senex facultatum suarum heredem instituit, ea lege, ut rerum quicquid esset, tribus filiabus distribueret, partibus aequalibus; ita tamen, ne data possideant, aut perfruantur illis. Quam primum res acceptas habere desierint: matri soluenda esse centena sestertia, siue tria imperialium nummum millia. Illius rei fama peruagatur Athenas, multosque tota vrbe in admirationem rapit. De exequenda defuncti voluntate et familia herciscunda mulier valde sollicita Iureconsultos adit: quorum nemo rem adeo implicatam potuit expedire, quomodo neque possideant, quae fuerint tradita, neque fructum ex illis capere queant: aut quomodo reddenda sit matri ea pecuniae summa ab illis, quae nihil inde acceperint. Longa temporis cum ita duceretur mora, neque testamento posset fieri satis: mater, iudicibus, qui sententiarum varietate erant distracti, relictis, tandem ad propriae conscientiae dictamen, ut aliquo modo decideretur, causam retulit. Filiae, sua quae conspicua erat pulchritudine, moribusque eleganter compositis et ornatus elegantia quoscunque adolescentes allicere nouit, vestes, mundum muliebrem, vasa, quae ad lauationem pertinebant, magnifica, et eunuchos imberbes, ad sterilem excitandam libidinem, destinat. Alteri, quae lanam texens familiam curabat rusticam, assignat agellos, pecora,





villam, operarios, boues, iumenta, et quicquid ad agrum colendum pertinet. Tertiae, quae compotrix nimium indulgebat gulae, cellam optimo vino repletam, domum magnifice exstructam, hortosque satis amoenos adiudicat. Quae cum ita singulis tradere vellet: omnisque populus, cui filiarum mores innotuerant, callidum matris laudaret consilium: Aesopus a cursu, quo heri negotia exequi studebat, in media turba constitit, et quid rei ageretur, satis admirari non potuit. O si patri, dixit, iam defuncto, sensus aliquis superesset; quam aegre ferret, quod de sapientia et bonis artibus adeo commendati Athenienses ne voluntatem quidem suam capere, aut intelligere recte potuerint. Quam ob rem rogatus deinde facili negotio errorem detexit. Filiae, quae frugi est, atque res curat agrestes, date domum, Adonidis hortos, ornamenta muliebria, et vina vetera. Filiae bibaculae mittite vestes, vnioues, pedisequos, et similia. Illi vero, quae viris semet insinuare studet, agros, vites, pecora cum pastoribus omnique apparatu rustico relinquit. Sic nulla poterit ferre aut retinere diu, quod adeo ab suis moribus abhorret. Gulae dedita vestes et ornamenta vendet: ut sibi compararet vina. Lasciua nihili faciens, quos hereditate accepit, agros cum ornatu muliebri commutabit. Rustica vero, quae pecore delectatur magis, ad luxum compositis emtoribus pro qualibet pecuniae summa suam relinquet domum. Hoc modo filiae non possidebunt, quod



quod ex hereditate illis datum erat: ex rebus venditis autem singulae stipulatam matri pecuniam soluent. Ita quod plures expedire non potuerunt, vnius solertia apparuit.

## FAB. V.

*Pugna Murium et Mustelarum.*

Quum victi mures mustelarum exercitu  
 (Historia quorum in tabernis pingitur)  
 Fugerent, et arctos circum trepidarent cauos;  
 Aegre recepti, tamen euaserunt necem.  
 Duces eorum, qui capitibus cornua  
 Suis ligarant, vt conspicuum in proelio  
 Haberent signum, quod sequerentur, milites,  
 Haesere in portis, suntque capti ab hostibus;  
 Quos immolatos victor auidis dentibus,  
 Capacis alui merisit tartareo specu. (mit,  
 Quemcunque populum tristis euentus pre-  
 Perichitatur magnitudo principum:  
 Minuta plebes facili praesidio latet.

*Gravioribus periculis exitiosa maiestas.*

Sequens in tabernis saepe depingitur fabu-  
 la. Cum mures aliquando infelici proelio  
 a mustelis essent victi: et ea, qua opus fue-  
 rat, celeritate vix possent suas trementes re-  
 petere cauernas: ab suis tamen quique tandem  
 recepti sunt timore perculsi, ac praesens  
 Ianienae periculum euaserunt. At duces eo-  
 rum, qui cornubus sua ornauerant capita; vt  
 eminentia generositatis animique inuicti signa  
 prae se ferrent; atque distinguerentur in proe-  
 lio ab aliis ordinum inferiorum militibus; pro-  
 pter



pter insignium altitudinem cauernas ingredi non potuerunt. Capiuntur ergo superbientes modo, nunc tremuli duces, ab hostibus; misere trucidantur omnes, et lacerati auidis victorum dentibus, vastum replent atque obscurum famelicorum ventrem. Quoties populum tristia fata premunt: omnium maxime principes periclitantur, qui sublimiori loco sunt positi, nec facile propter magnitudinem elabi possunt: cum abiectissimi quique ciues et infimae plebis homines facilius quocunque praefidii genere lateant.

## FAB. VI.

*Poeta in fabularum Aesopiarum censors.*

Tu qui nasute scripta destringis mea,  
Et hoc iocorum legere fastidis genus,  
Parua libellum sustine patientia,  
Seueritatem frontis dum placo tuae,  
Et in cothurnis prodit Aesopus nouis.

Vtinam nec vnquam Pelii nemoris iugo  
Pinus bipenni concidisset Thessala;  
Nec ad professae mortis audacem viam  
Fabricasset Argus opere Palladio ratem,  
Inhospitalis prima quae Ponti sinus 10  
Patefecit, in perniciem Graium et Barbarum.  
Namque et superbi luget Aeetae domus,  
Et regna Peliae scelere Medae iacent, (dis,  
Quae saeuum ingenium variis inuoluens mo-  
Illic per artus fratris explicuit fugam, 15  
Hic caede patris Peliadum infecit manus.  
Quid tibi videtur? hoc quoque insulsum est, ais,  
Fal-



Falfoque dictum; longe quia vetustior  
 Aegea Minos classe perdomuit freta,  
 Iustoque vindicauit exemplo impetum. 20  
 Quid ergo possum facere tibi, lector Cato,  
 Si nec fabellae te iuuant, nec fabulae?  
 Noli molestus esse omnino literis:  
 Maiorem exhibeant ne tibi molestiam.  
 Hoc illis dictum est, si qui stulti nauseant, 25  
 Et, vt putentur sapere, coelum vituperant.

*Rodit omnia Momus.*

Lector, qui nimium tibi sapere videris, li-  
 bellorum meorum iustis laudibus detrahis, at-  
 que hoc alioqui suaue et iucundum, vtvt leue  
 genus iocorum legere dedignaris; retine pau-  
 lisper aequo animo libellum: quoad exaspe-  
 ratae frontis seueritatem mitigauero: et Aeso-  
 pus iam praeter consuetudinem in cothurnis  
 prodierit, inepte stilum poetarum affectans  
 sublimem. Vtinam Thessala pinus in silua  
 Pelei caesa nunquam bipenni fuisset: neque  
 Argus nauem primo, ad certae mortis viam  
 audacter ineundam, Palladis arte fabricasset:  
 quae semper adhuc clausos vndique Ponti Eu-  
 xini, maris inhospitalis sinus, ad Graecorum  
 et Barbarorum perniciem tristemque oppido-  
 rum ruinam, aperuit. Nam et Aeetae, superbi  
 regis Colchorum, familia filium Absyrtum, a  
 Iasone interfectum, dolet. Et Peliae regna  
 fraudibus interierunt Medae: quae Aeetae,  
 Colchorum regis, filia venefica Iasonem cum  
 reliquis Argonautis suscepit, animumque cru-  
 delem



delem variis artibus tegens, illic fratris in fuga sparsis artibus se persequentem retinuit parentem, atque viam sibi praemuniuit: hic fecit, vt Peliades caede patris sui manus polluerent. Ecquid tibi videtur? Hoccine satis grandi cothurno suffultum genus carminis placet? Atqui istud quoque, ais, insulsum plane est: ac minime cohaerent, quae narrantur. Nam longe ante tempora Aegeae Minos suis nauibus adiit freta, felici vbique vsus belli successu piratarum quoque ex mari Aegeo in Cretam incursiones vindicauit, et Atheniensibus, qui rei nauali dederant praecipue operam, imposuit tributum, vt posteris eorum relinqueret exemplum, ne quis temere posthac lacefferet reges. Quid ergo tecum communicare possum, lector morose: cum neque tibi placeat inuentum recens atque lepidum, neque vetus istud et graue; et nihil prorsus inueniatur, quod tu non soleas alto contemnere supercilio? Noli iam ex omni parte bonas adeo fastidire et oppugnare literas: ne par pari referatur, et omnes literati vicissim te quouis modo exagitant. Hi plus tibi facescent negotii: atque tu putas illis tuam obesse inuidiam. Admonitio haec ad illos spectat, qui nasutuli censores omnia rodere non verentur, atque, vt sapere videantur soli, etiam vituperant coelum, et quae meliorum consensu rerum plane omnium laude dignissima habentur.

FAB.



## FAB. VII.

*Vipera et Lima.*

Mordaciorem qui improbo dente appetit,  
Hoc argumento se describi sentiat.

In officinam fabri venit vipera.

Haec quum tentaret, si qua res esset cibi,  
Limam momordit. Illa contra contumax, §  
Quid me, inquit, stulta dente captas laedere,  
Omne assueui ferrum quae corrodere?

*Lacerantur qui lacerant iniquo conatu.*

Impudentem orisque ferrei hominem si quis  
rodere velit: semet fabula sequenti descriptum  
sentiet. Vipera in fabri officinam venerat:  
vbi cum exploraret, num quid adesset cibi:  
limam momordit. Haec vero intrepida no-  
visque fortiter resistens insultibus, quod morfu  
iterato labia et linguam laeserit, infelix, inquit,  
me frustra laesum stulto aggredere conatu,  
quae admota ferrum ac durissima quaeque  
corrodere soleo.

## FAB. VIII.

*Valpes et Hircus.*

Homo simul ac venit in magnum periculum,  
Effugium reperire alterius quaerit malo.

Quum decidisset vulpes in puteum in scia,  
Et altiore clauderetur margine:  
Deuenit hircus sitiens in eundem locum, §  
Simul rogauit, esset an dulcis liquor,  
Et copiosus? Illa fraudem moliens;  
Descende, amice, tanta bonitas est aquae,  
Voluptas vt satiari non possit mea.

Im-



Immisit se barbatus. Tum vulpecula 10  
 Euasit puteo, nixa celsis cornibus,  
 Hircumque clauso liquit haerentem vado.

*Suo semet periculo eximere quisque studet.*

Si quis in magno versatur periculo, quod semper dat veniam culpae: quouis modo, si vel maxime alterius malo, elabi studet. Cum vulpes imprudens in puteum decidisset, haerensque in imo arctius conclusa crebris saltibus extremitatem non posset attingere supremam: fiti compulsus ad locum eundem venit hircus, eamque calamitate sua detentam rogauit, num aqua esset dulcis atque sufficiens ad restringendam fitim. Vulpes, ad liberandum sese, omni studio et conatu de fraude cogitans, euge, inquit, delicias si velis praegustare veras, descende quaeso: tanta enim fontis est suauitas, ut mea vix inde possit satiari voluptas. Cupidus ergo in puteum se contulit hircus. Vulpes autem eius dorso celsisque cornibus insistens repente suo euasit carcere, ac miserum in fundo haerentem reliquit.

FAB. IX.

*De vitiis hominum.*

Peras imposuit Iupiter nobis duas:  
 Propriis repletam vitiis, post tergum dedit,  
 Alienis ante pectus suspendit grauem.

Hac re videre nostra mala non possumus:  
 Alii simul delinquant, censores sumus.

*Indulget nimium quisque sibi.*

Duplicem Iupiter humeris mortalium imposuit



fuit faccum, a pectore et tergo, diuiso velut onere, pendentem: sed partem leuiorem propriis repletam vitiis post tergum dedit: grauiorem longe, vitiis refertam alienis, conspiciendam semper, ante oculos posuit. Factum inde est, vt scelera nemo sua cernere queat: omnes vero grauissimi in delictis alienis censores existant.

## F A B. X.

*Fur aram compilans.*

Lucernam fur accendit ex ara Iouis,  
 Ipsumque compilauit ad lumen suum;  
 Onustus qui sacrilegio quum discederet,  
 Repente vocem sancta misit religio:  
 Malorum quamuis ista fuerint munera, 5  
 Mihique inuisa, vt non offendar subripi;  
 Tamen, sceleste, spiritu culpam lues,  
 Olim quum adscriptus venerit poenae dies.  
 Sed ne ignis noster facinori praeluceat,  
 Per quem verendos excolit pietas Deos, 10  
 Veto esse tale luminis commercium.  
 Ita hodie nec lucernam de flamma Deum,  
 Nec de lucerna fas est accendi sacrum.  
 Quot res contineat hoc argumentum vtiles,  
 Non explicabit alius, quam qui repperit. 15  
 Significat primo, saepe, quos ipse alueris,  
 Tibi inueniri maxime contrarios.  
 Secundo ostendit, scelera non ira Deum,  
 Fatorum dicto sed puniri tempore.  
 Nouissime interdicit, ne cum malefico  
 Vsum bonus confociet vllius rei. 20

Nul-



*Nullum, si vel maxime occultum, sine vindicta  
peccatum.*

Fur quidam nocte ex ara Iouis lucernam accendit: eoque lumine usus res, quas potuit, ex illius fano pretiosas aufert. Sacrilegio peracto, cum simius et semissis homo praeda opima bene onustus reuerteretur: diuinam repente audiuit numinis vocem: quamvis ista malorum dona, quibus templum voluerunt ornare meum; neque adeo mihi fuerint grata, quin facile passus iam essem scelerata surripi manu: tu tamen, sacrilege, te persequentem senties Nemefin, ac istud tantum flagitium debebis breui, supplicio destinatus cum venerit dies, capitis grauissima luere poena. Interea temporis, ne quis, ad sua scelera perpetranda, igne nobis sacro abutatur, quo superos vulgo homines deuota mente colere student: eiusmodi nullum posthac luminis commercium esto: vt liceat cuiquam facris Deum flammis accendere lumen; aut facrum facere de lucerna: sempiternum ignem sacrorum inextinctum seruant. Quot res ad mortalium mores formandos accommodatae hoc vno argumento contineantur, nemo facilius explicare poterit, quam qui primus hanc fabulam inuenit, et optimus est suorum verborum interpret. Indicat primo, saepius maxima nos afficere ignominia, quos beneficiis ipsi cumulare, ac in sinu quasi fouere non dubitauimus. Demonstrat porro, cum videat  
Deus



Deus, patrari scelera, ipsum affectibus quidem illis carere, quibus vulgo mortales exardere soleant: sed tamen nihil prorsus fugere illius prouidentiam, ac statim crimen vniuscuiusque vindicari tempore. Extremo docet, sacra cum profanis non esse permiscenda temere: et bonorum cum malis commercium subsistere nullum.

## F A B. XI.

*Malas esse diuitias.*

Opes inuisae merito sunt forti viro,  
 Quia diues arca veram laudem intercipit.  
 Coelo receptus propter virtutem Hercules,  
 Quum gratulantes persalutasset Deos,  
 Veniente Pluto, qui fortunae est filius,  
 Auertit oculos. Causam quaesuit pater.  
 Odi, inquit, illum, quia malis amicus est,  
 Simulque obiecto cuncta corrumpit lucro.

*Opes vulgo irritamenta malorum.*

Animo generoso et forti nunquam non suspectae sunt diuitiae, quas qui custodiunt et laudant, iners otium vulgo deliciasque, minime laudandas, sequuntur. Cum Hercules, Iouis et Alcmenae filius, propter res fortiter gestas, in diuum reciperetur numerum, et gratus in coelis hospes eadem concione omnes ordine salutaret Deos, qui societatem illi novamque felicitatem congratulabantur: Fortunae ad eum veniente filio, Plutone, auertit oculos, suam vtestaretur indignationem atque odium. Auersionis Iupiter quaerit causam.

Et



Et haec in promptu erat: aequo illum ferre non  
possum animo, qui malis, ad opprimendam  
virtutem, fauet, ac opibus, inertiae scelerum  
que illecebris, omnia corrumpere studet.

## F A B. XII.

*Leo regnans.*

Vtilius homini nihil est, quam recte loqui.  
Probanda cunctis est quidem sententia,  
Sed ad perniciem solet agi sinceritas.

Quum se ferarum regem fecisset leo,  
Et aequitatis vellet famam consequi,  
A pristina deflexit consuetudine,  
Atque inter illas tenui contentus cibo,  
Sancta incorrupta iura reddebat fide.

\* \* \* \*

*Regis ex indulgentia et bonitate contentus.*

Nihil in omni vita iucundius homini  
quam vera et bona proloqui. Perplacet qui-  
dem omnibus sententia, veritatem omnium  
bonorum esse ducem: attamen haec diuina  
virtus atque sinceritas, quae vel maxime salu-  
taris, odium parit vulgo, et ad perniciem tra-  
hitur. Cum leo rex factus esset ferarum, o-  
mnique studio id ageret, vt domini clemen-  
tis et iusti famam consequeretur: desit, v-  
ante consueuerat, praedari, et aequitatis non  
habita ratione, cum fortis et potens esset, fa-  
cere omnia pro libidine: contra paucis, inter  
subiectissimas sibi feras, contentus ac frugi-  
pietate singulari ius dixit, ac bona fide suam  
cuique tribuit.

Maio



(\* Maior pars fabulae desideratur : sed haec videtur illius  
sententia fuisse.)

Cum vero animalia regis sui perpetuam animaduertent indulgentiam vsumque familiarem : hoc tandem benevolentiae obtinuit praemium, vt ludibrio esset omnibus : quemadmodum nimia vulgo familiaritas contemptum parit.

## F A B. XIII.

\* \* \* \*

Postquam lauare coepit poenitentia,  
Afflictione veretri, linguam mulieris,  
Affinitatem traxit inde obscœnitas.

*Expers verecundiae Venus improba semper.*

(\* Et haec fabula, forsau quod minus esset decora, ad  
*ἐπιμύθιον* vsque refecata fuit.)

Nefanda mulieris cum viro consuetudine, postquam illius linguam lauare coepit inexhausta voluptas : praeter opinionem obscœnitas inde orta est.

## F A B. XIV.

*Prometheus.*

Rogauit alter, tribadas et molles mares  
Quae ratio procreasset ? Expofuit senex :  
Idem Prometheus, auctor vulgi fictilis,  
Qui simul offendit ad fortunam, frangitur ;  
Naturae partes, veste quas celat pudor, ¶  
Quum separatim toto finxisset die,  
Aptare mox vt posset corporibus suis ;  
Ad coenam est inuitatus subito a Libero.

G

Vbi



Vbi irrigatus multo venas nectare,  
 Sero domum est reuersus titubanti pede: 10  
 Tum semisomno corde, et errore ebrio,  
 Applicuit virginale generi masculino,  
 Et masculina membra applicuit feminis.  
 Ita nunc libido prauo fruitur gaudio.

*Stulta libido.*

Rogauit aliquis, qua ratione infames spurcitie frictrices pueri ac probrosae mollitiei mares procreati fuerint. Et hanc senex philosophus fuisse tradidit. Prometheus in causa est, ille generis humani conditor, quod effeminatum plane et libidinosum, adeo prorsus cum fictili olla fragili componendum est, ut virilis animi expers, ad quamlibet fortunae offensionem, velut iners lutum frangitur. Is enim cum toto die separatim finxisset sexus utriusque membra, quae natura occultauit, ac remoueri honeste ab oculis voluit ipse pudor: ut suis quaeque corporibus addi mox negotio faciliori posset: repente ad coenam inuitatus est a Baccho. A quo cum sero bene potus, tremulo ac vacillante pede, rediisset domum: ebrius ac somniculosus, quae mulierum sunt, masculino generi; & illis contra virum applicuit genitalia. Hinc libidinis peruersa vtrinque voluptas.

FAB. XV.

*Capellae et Hirci.*

Barbam capellae quum impetrassent ab Ioue,  
 Hirci moerentes indignari coeperant,

Quod



Quod dignitatem feminae aequassent suam.  
 Sinite, inquit, illas gloria vana frui,  
 Et vsurpare vestri ornatum muneris,  
 Pares dum non sint vestrae fortitudinis.

Hoc argumentum monet, vt sustineas, tibi  
 Habitu esse similes, qui sunt virtute impares.

*Hand raro etiam sine virtute homines gloriam  
 consequuntur virtutis.*

Quum capellae barbam a Ioue precibus obtinuis-  
 sent: hirci moerore et inuidia confecti non poterant aequo ferre animo, quod signum roboris et honoris sui masculum etiam feminis tribuisset. Tum, finite, inquit, illas vanae participes esse gloriae, eundemque vobiscum prae se ferre virtutis ornamentum: dum ipsa re carent, atque viribus vobiscum nullo modo comparari possunt. Docet fabula, facile ferendos esse omnes, qui, cum dignitate meritisque nobis longe sunt inferiores, eandem sibi speciem et habitum corporis arrogare non verentur.

## FAB. XVI.

*Gubernator et Nautae.*

Quum de fortunis quidam quereretur suis:  
 Aesopus finxit consolandi gratia.

Vexata faevis naui tempestatibus,  
 Inter vectorum lacrumas & mortis metum,  
 Faciem ad serenam subito mutatur dies.  
 Ferri secundis tuta coepit flatibus,  
 Nimiaque nautas hilaritate extollere.  
 Factus periculo tum gubernator sophus:

G 2

Parce



Parce gaudere oportet, & sensim queri:  
 Totam quia vitam miscet dolor et gaudium. 10

*Rerum perpetua vicissitudo.*

Cum aliquis aduersam accusaret fortunam, et quod minus prospero suarum frueretur rerum successu: Aesopus eum sequenti narratione erigere studuit. Naui faeuientibus undique septa & iactata fluctibus maris, homines, qui ea vehebantur, subito mortis metu, largas fundebant lacrimas, suaque fata deplorabant miserabili voce. Mox nubila discussit Phoebus; rerum mutata facie, procellas excepit serena tempestas; ventisque secundis coeperunt nauigare ex animi voto. Tum nauatae incredibili gaudio elati suam sibi gratulabantur fortunam. At nauis gubernator, qui factus aliorum periculis cautus, ventorum semutationibus accommodare didicerat, in laetitia seruandum, monuit, esse modum, atque in tristitia: quandoquidem tota hominis vita, eaque rerum vicissitudine, nunquam non soleant mala esse mixta bonis. Nemo confidat nimium secundis: nemo desperet meliora lapsis.

FAB. XVII.

*Canum Legati ad Iouem.*

Canes legatos olim misere ad Iouem,  
 Melioris vitae tempus oratum suae,  
 Ut sese abriperet hominum contumeliis,  
 Furfuribus sibi conspersum quod panem darent,  
 Fimoque turpi maximam explerent famem. 5  
 Pro-



Profecti sunt legati non celeri pede,  
 Dum naribus scrutantur escam in stercore.  
 Citati non respondent. Vix tandem inuenit  
 Eos Mercurius, et turbatos attrahit.  
 Tum vero vultum magni vt viderunt Iouis, 10  
 Totam timentes concacarunt regiam.  
 Propulsi vero fustibus, vadunt foras:  
 Vetat dimitti magnus illos Iupiter.  
 Mirati, sibi legatos non reuertier,  
 Turpe aestimantes aliquid commissum a suis,  
 Post aliquod tempus alios adscribi iubent.  
 Rumor legatos superiores prodidit.  
 Timentes rursus aliquid ne simile accidat,  
 Odore canibus anum, sed multo, replent,  
 Mandata dant, legati mittuntur, statim 20  
 Adeunt. Rogantes aditum, continuo impetrant.  
 Confedit genitor tum Deorum maximus,  
 Quassatque fulmen: tremere coepere omnia.  
 Canes, confusus subito quod fuerat fragor,  
 Repente odorem mixtum cum merdis cacant.  
 Reclamant omnes, vindicandam iniuriam.  
 Sic est locutus ante poenam Iupiter:  
 Non est legatos regis non dimittere,  
 Nec est difficile, poenas culpae imponere. 30  
 Sed hoc feretis pro iudicio praemium:  
 Non veto dimitti, verum cruciari fame,  
 Ne ventrem continere non possint suum.  
 Illi autem, qui miserunt vos tam futiles,  
 Nunquam carebunt hominis contumelia. 35  
 Ita nunc legatos expectant et posteri:  
 Nouumque venire qui videt, culum olfacit.



*Vitia non emendanda naturae.*

Ad Iouem canes olim suos miserunt legatos: rogatum, quod adhuc miseranda fuisset vitae conditio, vt maior sibi posthac arrideret felicitas, et ipsi tandem aliquando eximerentur hominum afflictionibus atque iniuriis, qui pro omni praestita fideli opera, vix aliquando furfuracei ac sordidi sibi obiicerent frustum panis: vt extrema fame coacti rebus abiectissimis vescerentur. In itinere non adeo properantes legati, stercorea passim vbique scrutantur, num quid illis adhaereat cibi. Neque cum petierint, vt admitterentur, comparent ad agendum citati. Vix eos tandem praeco Mercurius reperit, negligentiae arguit, atque adeo speranda Iouis ira secum perterritos ducit magni Iudicis tremendum aspicientibus vultum, summo dedecore, trepidum soluit timor ventrem: vt magnificum conspurcarent totum Iouis palatium. Hinc fustibus abacti simul omnes euadere contendunt foras. Ob istud vero tantum crimen, Iupiter vetat legatos dimitti. Qui miserant, canes mirantur, quid sit, quod non redirent. Verentur tandem, ne quid dedecoris admiserint, atque carceribus detineantur. Mittunt ergo post aliquod temporis spatium, qui superioribus adiungerentur, prudentiores. Antequam vero illi proficiscerentur, fama percrebuit, quanta legationem suam turpitudine macularint. Id genus flagitii ne posteriores quoque committerent legati: anum istis aromatis rebusque  
aliis



aliis suauiter olentibus replent, suaque tradunt mandata. Abeunt propere, et confestim a Ioue, vt petierant, intrare iubentur. Sed et maiestate illustris Iupiter in thono, suamque propter delicta testatus iram, violentius coepit ita quassare fulmen: vt contremiscerent omnia. Frigor iste subito canes perturbat: vt sua statim permixta redderent cum stercore aromata. Indignum facinus, clamant omnes, quod grauissima poena expiandum. Antequam vero quicquam in istos statuatur, edicere audiuerunt Iouem: Regis non est, contra gentium ius commune, captiuos apud se retinere legatos. Nec difficile mihi est, iusta quemque pro delictis afficere poena. Istos ego quidem dimitti non veto: sed fame volo cruciari perpetua, ventrem vt necessario continerent suum. Hanc vos, foetidi, me iudice, mulctam habebitis: illi autem, qui vos tam pronos ad stercore effundenda mittere non dubitarunt, hominum contumeliis obnoxii semper erunt. Ita nunc posteri omnes legatos expectant, et quoties venire quemquam ante sibi ignotum vident, olfaciunt culum.

## F A B. XVIII.

*Homo et Colubra*

Qui fert malis auxilium, post tempus dolet.  
 Gelu rigentem quidam colubram sustulit,  
 Sinuque fouit. Contra se ipse misericors.  
 Namq; vt refecta est, necuit hominem protinus.



Hanc alia quum rogaret caussam facinoris, s  
Respondit: Ne quis discat prodesse improbis.

*Qui malos fouer, sibi maxime nocet.*

Malo si quid benefacies, id ipsum in perniciem aliquando tuam conuertet. Homo rusticus et probus colubram reperit ringentem gelu atque certo pereundam, quam, misericordia ductus, humo sustulit, atque fouit sinu liberaliter, in suam ipsius perniciem. Quamprimum enim refocillata est, suasque cum vita sensit recepisse vires, pestifero statim, ipsi qui benefecerat, hominem enecauit ictu. Facinoris cum alia quaesuerit caussam: ne quis, respondit improba, malos posthac enutrire aut beneficiis ornare studeat.

F A B. XIX.

*Vulpes et Draco.*

Vulpes cubile fodiens, dum terram eruit,  
Agitque plures altius cuniculos,  
Peruenit ad Draconis speluncam vltimam;  
Custodiebat qui thesauros abditos.  
Hunc simul aspexit; Oro, vt imprudentiae s  
Des primum veniam; deinde, si pulcre vides,  
Quam non conueniens aurum sit vitae meae,  
Respondeas clementer. Quem fructum capis  
Hoc ex labore, quodue tantum est praemium,  
Vt careas somno, et aeuum in tenebris exigas?  
Nullum, inquit ille, verum hoc a summo mihi  
Ioue attributum est. Ergo nec sumis tibi,  
Nec vlli donas quicquam? Sic fatis placet.

Nolo



Nolo irascaris, libere si dixero:  
 Diis est iratis natus, qui est similis tibi. 15  
 Abiturus illuc, quo priores abierunt,  
 Quid mente coeca miserum torques spiritum?  
 Tibi dico, auare, gaudium heredis tui,  
 Qui thure superos, ipsum te fraudas cibo,  
 Qui tristis audis musicum citharae sonum, 20  
 Quem tibi arum macerat iucunditas,  
 Obsoniorum pretia cui gemitum exprimunt;  
 Qui, dum quadrantes aggeras patrimonio,  
 Coelum fatigas fordido periurio;  
 Qui circumcidis omnem impensam funeris, 25  
 Libitina ne quid de tuo faciat lucrum.

*Miserrimus diuitiarum custos.*

Dum vulpes, ad cubile sibi parandum, al-  
 tius perfoderet terram, atque plures impru-  
 dens persequeretur cuniculos: peruenit tan-  
 dem ad extremam Draconis speluncam, qui  
 in abditis montium atque rupium antris, cu-  
 stodiae causa, recondito longe omnium ma-  
 ximo thesauro incubabat. Perterrita ad pri-  
 mum monstri adspectum vulpecula, humilli-  
 mis, inquit, a te contendo precibus, vitio ne  
 veritas mihi, quod subito rerum plane hospes  
 accedo. Quandoquidem vero intelligere fa-  
 cile potes, thesauris, qui alios delectant, con-  
 quirendis totam abhorre meam vivendi ra-  
 tionem: vt omnium minime tibi aut diuitiis  
 tuis insidias struere queam: dic, sodes, quem  
 fructum ex ea sollicitudine curaue tua capias;  
 aut quae laborum sit omnium remuneratio,



vt dies noctesque infomnis thesauros custo-  
 dias, atque vitam in squalore ac tristi adeo  
 solitudine transigas. Nihil, respondet, in-  
 de mihi commodi. Sed munus illud, maxi-  
 ma industria subeundum, ipse Iupiter impo-  
 suit mihi. Neque ergo absumere audes quic-  
 quam, in tuos usus conuertendum; neque  
 aliis impertiri tantillum potes? Non possum:  
 nam obstat maxima vis fati, quod me custo-  
 dem ea lege constituit, vt abstinere pror-  
 fus ab rerum usu. Ignoscas ergo, si liberius  
 dixerò, quid sentiam: miserrimum, atque a-  
 deo infausto fidere natum oportet esse eum,  
 qui tua studia imitari velit. O mortalis, cum  
 properas certo abire illuc, quo longa serie,  
 quotquot ante te vixerunt, abire omnes: quid  
 infelicem animam excrucias auri sacra fame,  
 et perpetua habendi cupiditate? Haec tibi  
 dicta sunt, auare, qui sola superes post obi-  
 tum laetitia heredis: vt nummos diripiat, lon-  
 go cumulatò labore: qui sacrificia superis  
 nulla, ne minima quidem libamina offerre  
 potes: qui ad satietatem nullos ipse conaris  
 tibi fumere cibos: cuius in arca animus adeo  
 sollicitus haeret, vt aures nulla musicorum  
 suauitas afficere possit; quin ipse titillans chor-  
 darum concentus maximam videatur creare  
 molestiam: quem ad gemitus et suspiria vs-  
 que plurima excruciant obsoniorum pretia:  
 qui, vt nummulos insigni possis cumulare a-  
 ceruo, ob sordidum quodcunque lucrum,  
 periuria miscere non dubitas continuo atque



testari Deos : qui funeris quoque interdiciis maxime necessariis sumtibus : ne forsan Proserpina, in cuius templo locantur, quae ad sepulturam pertinent, vel lucri tantillum de facultatibus tuis nanciscatur.

FAB. XX.

*Phaedrus de fabulis.*

Quid iudicare cogitet liuor, modo  
 Licet dissimulet, pulchre tamen intelligo.  
 Quicquid putabit esse dignum memoriae,  
 Aesopi dicet; si quid minus arriserit,  
 A me contendet fictum quouis pignore. §  
 Quem volo refelli iam nunc responso meo.  
 Siue hoc ineptum, siue laudandum est opus,  
 Inuenit ille, nostra perfecit manus.  
 Sed exequamur coeptum propositi ordinem.

*Hand iniucundum, veteres quod factitarunt,  
 si faciunt noui.*

Equidem probe scio, et intelligere facile possum, quam seuerum ac peruersum in me iudicium meditentur omnes, qui, ad nefaria quaeque molienda, vtvv dissimulent, ac minime gentium videri velint, inuidia et malevolentia turgent. Quicquid arbitrantur in his fabulis esse memoratu dignum: Aesopi, aiunt, nobile esse opus: si quid illis minus placet: a me proficisci, cum omnibus faciunt sponsonem, et quouis pignore contendunt. His ergo, vt calumniari desinant tandem, respondendum esse duxi. Quaecunque hoc opus videatur; siue commendare istud, siue acro-

ri



ri censura vituperare velis : Aesopus ille veteribus adeo laudatus materiam suppeditavit : quam ego versibus senariis perpolire , atque industria singulari perficere studui. Laborem ergo haud iniucundum eo , quo institui modo et ordine prosequar.

## F A B. XXI.

*Naufragium Simonidis.*

Homo doctus in se semper diuitias habet.  
 Simonides qui scripsit egregium melos,  
 Quo paupertatem sustineret facilius,  
 Circumire coepit vrbes Asiae nobiles,  
 Mercede accepta laudem victorum canens. 5  
 Hoc genere quaestus postquam locuples factus  
 Venire in patriam voluit cursu pelagio. (est,  
 (Erat autem natus, vt aiunt, in Ceo insula)  
 Ascendit nauem, quam tempestas horrida  
 Simul & vetustas medio dissoluit mari. 10  
 Hi zonas, illi res pretiosas colligunt,  
 Subsidium vitae. Quidam curiosior,  
 Simonide, tu ex opibus nil sumis tuis? (natant:  
 Mecum, inquit, mea sunt cuncta. Tunc paucie  
 Quia plures onere degrauati perierunt. 15  
 Praedones adsunt, rapiunt, quod quisq; extulit,  
 Nudos relinquunt. Forte Clazomene prope  
 Antiqua fuit vrbs, quam petierunt naufragi.  
 Hic literarum quidam studio deditus,  
 Simonidis qui saepe versus legerat, 20  
 Eratque absentis admirator maximus,  
 Sermonem ab ipso cognitum cupidissime  
 Ad se recepit, veste, nummis, familia  
 Ho-



Hominem exornauit. Ceteri tabulam suam  
 Portant, rogantes victum. Quos casu obuius 25  
 Simonides vt vidit : dixi, inquit, mea  
 Mecum esse cuncta : vos quod rapuistis, perit.

*Artes bonae secundas res ornant, aduersis  
 perfugium ac solatium praebent.*

Artem quaeuis terra alit, et sua cuique eru-  
 ditio maximarum instar diuitiarum esse solet :  
 quandoquidem nulla possessio, nulla vis auri  
 et argenti pluris, quam virtus et doctrina ae-  
 stimanda est. Simonides, vir sapiens et eru-  
 ditione illustris, egregia scripsit carmina, si-  
 bique vt tanto facilius confuleret, egestate op-  
 presso, Asiae nobilissimas peragrauit ciuitates,  
 atque res praeclare gestas heroum, munere  
 dato, suis versibus ornauit. Hoc modo pecu-  
 niae magnam cum sibi comparauerit sum-  
 mam, conscendit nauem, vt celeri trans mare  
 cursu in patriam reuenteretur. Dicitur autem  
 natus fuisse in Caea, quae vna e Cycladibus  
 insula maris Aegei. Pelago cum veheretur  
 saeuienti medio, et aduersam velis nautisque  
 horrendam incuterent vim venti : vetustate  
 confecta frangitur nauis. Praesenti mortis  
 periculo concurrant miseri : suas conquirunt  
 zonas, res quique colligunt suas, vt euade-  
 rent, haberentque, sicubi appellerent salui,  
 vnde viuant. Curiosior aliquis, quam dece-  
 bat, Simonidem rogat, cur nihil rerum sua-  
 rum seruare studeret. Ille vero, secum re-  
 spondet, omnes suas portare diuitias. Pleri-  
 que



que fluctibus obruuntur, qui oneribus graues enatare non poterant. Pauci laboribus exantlatis quidem ad littora propelluntur: sed latronum mox obueniunt armatis manibus, qui rapiunt, rerum quicquid erat, et aduenas male affectos nudosque relinquunt. Sic naufragi tandem Clazomenam properant, quae vrbs insignis et antiqua Ioniae Asiaticae fuit. Hic bonarum artium studiosus quidam Simonidis versus legerat, eiusque vel absentis nomen adhuc maxima cum veneratione profecutus erat. Is, cum praesentem intelligeret, vulgi rumore, nunc adesse tanta calamitate iactatum; viri flagrans amore, inuentum recipit, amplectitur, honorat, veste, nummis, seruis donat perquam liberaliter. Naufragio superstites reliqui homines ostiatim miseriae suae porrigunt tabulam, assemque, vel cibum exiguum, petunt. Mendicantibus Simonides, qui beneficiis egregie ornatus erat, casu obuiam aliquando factus, dixi vobis, inquit, mea mecum esse omnia. Vos quod tam sollicitè vobis seruare studuistis, vsui vobis et solatio esse non potuit.

FAB. XXII.

*Mons parturiens.*

Mons parturibat, gemitus immanes ciens:  
 Eratque in terris maxima expectatio.  
 At ille murem peperit. Hoc scriptum est tibi,  
 Qui magna quum minaris, extricas nihil.

Ril



*Rei vel nunquam, vel exiguae futurae, ostentatio  
vana.*

In monte visa est valde intumescere ac moveri terra, non sine maximo gemitu. Undique rudes concurrunt homines, tanquam ad miraculum: rati iam parturire montem, et fore brevi, ut nouum aliquod et ingens fortassis portentum ederet. Cum ita agrestium plerique flagranti desiderio rerum exspectarent euentum: turgida mus prodit e terra, magnumque illum timorem mortalium in iocum risumque conuertit. Fabula illis scripta est, qui multa pollicentur egregia, et singularem volunt sui, vultus atque vestitus auctoritate, spem excitatam haberi, nihil vero tandem, vel meas solent afferre nugas.

## F AB. XXIII.

*Formica et Musca.*

Formica et musca contendebant acriter,  
Quae pluris esset. Musca sic coepit prior:  
Conferre nostris tu potes te laudibus?  
Vbi immolatur, exta praegusto Deum;  
Moror inter aras, templa, perlustro omnia;  
In capite Regis sedeo, quum visum est mihi,  
Et matronarum casta delibo oscula.  
Laboro nihil, atque optimis rebus fruor.  
Quid horum simile tibi contingit, rustica?  
Est gloriosus sane conuictus Deum,  
Sed illi, qui inuitatur, non qui inuisus est.  
Reges commemoras, et matronarum oscula:  
Ego



Ego granum in hiemem quum studiose conge-  
 Te circa murum video pasci stercore. (10,  
 Aras frequentas, nempe abigeris, quo venis. 15  
 Nihil laboras, ideo, quum opus est, nil habes.  
 Superba iactas, tegere quod debet pudor.  
 Aestate me laceffis; quum bruma est, files.  
 Mori contractam quum te cogunt frigora:  
 Me copiosa recipit incolumem domus. 20  
 Satis profecto retudi superbiam. 25  
 Fabella talis hominum discernit notas  
 Eorum, qui se falsis ornant laudibus,  
 Et quorum virtus exhibet solidum decus.

*Commendatio sine virtute nulla.*

Formica et musca rixabantur, omnique vo-  
 cis conatu, vtra pluris facienda, cuiusue me-  
 lior conditio esset, contendebant. Musca pri-  
 mum ita semet ac vitae suae rationem com-  
 mendare coepit. Tu quidem omnium mini-  
 me poteris mea aequare merita. Sicubi sacri-  
 ficia parantur, quicquid Deorum est, mihi  
 praegustare licet: communes mihi cum illis  
 sunt arae: vndique templa soleo perlustrare  
 omnia, quae maximam suppeditant cibi at-  
 que potus copiam. Adeo formidabilis Regum  
 mihi nulla auctoritas, vt quoties lubet, illo-  
 rum capitibus insidere non possim. Casta  
 matronarum vbique delibanda conceduntur  
 oscula. Nulla me sollicitudo, nec labor pre-  
 mit: otiosa semper atque remissa quibuslibet  
 vescor cibus, et mensa vbique est cupediarum  
 plena. Eam tu tibi felicitatem gratulari nullo  
 modo



modo potes, quae inficeta et plane rudis, adeo nihil cum superis commune habes, nec regibus, aut matronis places, ut cum illis accumbere audeas. Est profecto, Formica respondet, gloriosus superum conuictus, sed illi, qui gratus et acceptus ad illud tam nobile conuiuium vocatur; omnium vero minime illi, qui inuisus et odiosus, nefando sacrilegio, rapit sibi de optimis coenam. Et frustra frequens tuum iactas cum regibus commercium, et feminarum, quibus adeo delecteris, suauia: cum omnes maximo te abigant taedio, vel studeant enecare venenis. Ego vero etiam haud raro te circa muros video in deliciis habere stercora: dum ego paruula, magni laboris exemplum, ore, quicquid possum, traho, farisque congero aceruum, futurae memor hiemis inopisque senectae. Aras frequentare vel ideo soles, quod vbique locorum propelleris, et fixas nullibi potes habere sedes. Tu nihil laboras, atqui etiam nihil habes, quo, extrema temet urgente necessitate, perfrui possis: adeo pigritiam tuam comitatur paupertas. Iis rebus stulte ac superbe gloriaris, quas tegere debuisset ipse pudor. Iam tu me, quod aestas tibi arridere videtur, laceffere atque insolenti procacitate ad certamen prouocare non vereris: at hieme insultaueris nemini, cum frigore perieris; ego vero incolumis meam esca repletam potero intrare domum. Siccine factis reprobata insolentia? Fabula tales denotat

homi-



homines, qui falsis semet conantur ornare lau-  
dibus: cum suo splendore commendata vin-  
cere semper nouerit virtus.

## FAB. XXIV.

*Simonides a Diis seruatus.*

Quantum valerent inter homines litterae,  
Dixi superius: quantus illis honos  
A superis fit tributus, tradam memoriae.  
Simonides idem ille, de quo rettuli,  
Victoris laudem cuidam pycetae vt scriberet,  
Certo condixit pretio: secretum petit.  
Exigua cum frenaret materia impetum,  
Vfus poetae, vt moris est, licentia,  
Atque interposuit gemina Ladae sidera,  
Auctoritatem similis referens gloriae.  
Opus approbavit: sed mercedis tertiam  
Accepit partem. Quum reliquum posceret:  
Illi, inquit, reddent, quorum sunt laudis duae.  
Verum ne irate dimissum te sentiam,  
Ad coenam mihi promitte, cognatos volo  
Hodie inuitare, quorum es in numero mihi.  
Fraudatus quamuis, et dolens iniuria,  
Ne male dimissam gratiam corrumpere,  
Promisit. Rediit hora dicta, recubuit.  
Splendebat hilare poculis conuiuium,  
Magno apparatu laeta resonabat domus;  
Repente quum duo iuuenes, sparsi puluere,  
Sudore multo diffuentes corpora,  
Humanam supra formam, cuidam seruulo  
Mandant, vt ad se prouocet Simonidem:  
Illius interesse, ne faciat moram.

Homi



Homo perturbatus excitat Simonidem.  
 Vnum promorat vix pedem triclinio,  
 Ruina camerae subito oppressit ceteros.  
 Nec vlli iuuenes sunt reperti ad ianuam. 30  
 Vt est vulgatus ordo narratae rei,  
 Omnes scierunt, Numinum praesentiam  
 Vati dedisse vitam, mercedis loco.

*Bonae mentis soror quidem paupertas manet :  
 certa remuneratio tamen ab summorum  
 arbitro expectanda.*

Quantum ab hominibus literis statuatur pretium, paulo superius demonstratum fuit : quanti etiam illae apud superos habeantur, paucis iam enarrandum est. Idem ille Simonides, cuius modo facta est mentio, promiserat aliquando, pro certa sibi numeranda pecuniae summa, pugilis cuiusdam victoris describere laudes. Quod vt magnifico exequeretur stilo, et carmina prouenirent animo deducta magis sereno, poetarum more, secessum et otia quaerit. Obstare sibi etiam cum animadverteret sterilitatem materiae, quo minus, pro ingenio et studio, carminis genus heroicum satis grauius ac decore fingere posset: quod et optimis quibusque videmus esse valde familiare, licentia vsus est poetica, Castoris et Pollucis, pugilis itidem celeberrimi, diuina contextuit facinora, luminumque istorum gloriam cum illius virtute composuit. Carmen qui fieri curauit, istud suo quidem splendore et elegantia commendatum valde probauit: auctori



ctori vero tertiam soluit tantum mercedis partem: illique, cum posceret etiam, quod esset reliquam, duo, inquit, quos laudis fecisti participes, suas tibi portiones dabunt. Attamen, ne irascaris mihi, aut me putes aegre ferre coniuncta cum meis fuisse vtriusque merita: mihi ad coenam promittito te venturum: quandoquidem ego, vel propter victoriam a te descriptam, hodie meos inuitabo cognatos, quos inter et tu hospes mihi gratus eris: ut, quam tibi a me deberi opinaris, pecuniam reliquam amore et gratia pensarem. Poeta, quamuis mala hominis fide offensus damnum iniuriamque doleret, ad conuiuium promittit tamen: ne lucri causa videretur inire atque perdere amicitias. Redit ergo dicta hora, et aequo animo cum ceteris conuiuiis accumbit. Maxima cupediarum copia, foecundi calices, splendor apparatus insignis et rerum affluentia luxuriantes afficiebant atque nimium indulgentes sibi: totaque domus eximia chordarum et musicorum suauitate resonabat: cum celeri cursu accederent duo adolescentes, pulvere sparsi multoque sudore, alioqui diuinam prae se ferentes speciem, formae elegantia et aetate pares, qui seruum quendam iubent citissime Simonidem ad se prouocare, cuius interfit, ne minimam quidem facere temporis moram. Rei nouitate perturbatus ille Simonidem foras euocat e conuiuarum numero, ut intelligeret, quid sibi vellent pueri. Vix autem triclinium, seu conclaue, ubi tribus lectis epu-



epulabantur discumbentes, excessit: illud supra conuiuas corruit, ac simul omnes miseranda strage oppressit. Ad ianuam Simonides, qui eum excitauerant, iuuenes inuenit nullos. Eius rei cum exiisset fama, vt ab initio ad finem vsque gesta erat, nemo dubitauit, Castorem et Pollucem, numina praecipue hominibus propitia adfuisse: vt vitae periculo eximerent poetam, ac eum, adeo sibi deuotum, mercedis loco, saluum incolumemque seruari.

## F A B. XXV.

*Poeta non vult differri auxilium.*

Superfunt mihi, quae scribam: sed parco sciens,  
 Primum esse ne tibi videar molestior,  
 Distringit quem multarum rerum varietas;  
 Dein si quis eadem forte conari velit,  
 Habere vt possit aliquid operis residui. 5  
 Quamuis materiae tanta abundet copia,  
 Labori faber vt desit, non fabro labor.  
 Breuitatis nostrae praemium vt reddas, peto,  
 Quod es pollicitus. Exhibe vocis fidem:  
 Nam vita morti propior est quotidie. 10  
 Et hoc minus perueniet ad me muneris,  
 Quo plus consumet temporis dilatio.  
 Si cito rem perages, vsus fiet longior:  
 Fruar diutius, si celerius coepero.  
 Languentis aevi dum sunt aliquae reliquiae, 15  
 Auxilio locus est: olim senio debilem  
 Frustra adiuuare bonitas nitetur tua,  
 Quum iam desierit esse beneficium vtile,  
 Et mors vicina flagitabit debitum.



Stultum, admouere tibi preces, existima, 20  
 Procliuis vltro quum sit misericordia.  
 Saepe impetrauit veniam confessus reus:  
 Quanto innocenti iustius debet dari?  
 Tuae prius sunt partes, aliorum dein;  
 Similique gyro venient aliorum vices. 25  
 Decerne, quod religio, quod patitur fides,  
 Et gratulari me fac iudicio tuo.  
 Excedit animus, quem proposuit, terminum,  
 Sed difficulter continetur spiritus,  
 Integritatis qui sinceræ conscius, 30  
 A noxiorum premitur insolentiis.  
 Qui sint, requires; apparebunt tempore.  
 Ego quondam legi quam puer sententiam:  
 Palam mutire, plebeio periculum est.  
 Dum sanitas constabit, pulcre meminero.

---

*Bis dat, qui cito dat: nil dat, qui munera  
tardat.*

Scribenda mihi longe quidem plura super-  
 sunt: sed studio tandem verborum finem fa-  
 cio: ne tibi, rerum grauiorum varietate di-  
 stricto, nimium obstrepere videar: atque vt  
 materia supersit etiam noui operis illi, qui me-  
 cum eodem forsitan argumento certare velit:  
 quamuis tanta sit a me iam filicernio sene or-  
 natius exascianda aliis relictæ fabularum copia:  
 vt labori facile faber, non fabro labor deesse  
 possit. Hoc a te peto, vt, quod promisisti,  
 gratæ iam soluas mihi breuitatis præmium:  
 ac cito præstes fidem, quam ego verborum  
 esse tuorum futuram credidi. Quotidie pars  
 aliqua



aliqua demitur vitae nostrae: ut magis magisque continuo per tacitos atque fallentes cursus ad mortem properemus. Tantoque minus beneficium poterit prodesse mihi: quo magis differtur illud, atque longius edacis rerum ac senibus inprimis inuidiosi ducitur temporis mora. Si, quod dare vis, cito dederis: eius longiorem mihi suppeditabis usum: et munere mihi, celerius accepto, diutius perfrui licebit. Quoad vitae perbreuis huius, prope deficientibus iam animi corporisque viribus, pars aliqua superest: dabitur misero subueniendi occasio. Mox senio confectum frustra liberalitas tua iuuare studebit: cum ego beneficium, oportunitate destitutum, persentire nequeam; et mors, debili proxima, naturae debitum acrius postulet. Ast superuacaneum esse puto, pluribus te fatigare precibus, auresque vellere illi, qui, pro innata bonitate, ad misericordiam facilis et propensus, miseris quam lubentissime subuenire videtur. Ipse etiam scelerum conuictus saepe damnationem praecipat confessione sua: et supplex, dum fugit ad clementiam iudicis, impetrare solet delicti veniam. Quanto magis venia debet esse parata mihi, quem criminis arguere nemo potest? Innocentem iuuare, tuum inprimis erit, qui plurimum gratia et auctoritate vales. Mox te praeceuntem sequentur alii, qui toto tibi adhaerent pectore, tuamque in sententiam pedibus semper ire consueuerunt. Tum et reliqui, eodem ordine sententiam rogati, ad-



garia et quotidiana, vilescunt ac reiiciuntur.  
Ast citato gradu iam ad eiusmodi fabulam  
progrediendum.

## FAB. I.

*Demetrius Rex, et Menander Poeta.*

Demetrius, qui dictus est Phalereus,  
Athenas occupauit imperio improbo.  
Ut mos est vulgi, passim et certatim ruunt:  
Feliciter subclamant. Ipsi principes  
Illam osculantur, qua sunt oppressi, manum, s  
Tacite gementes tristem fortunae vicem.  
Quin etiam resides et sequentes otium,  
Ne defuisse noceat, reptant vltimi.  
In queis Menander, nobilis comoediis,  
Quas, ipsum ignorans, legerat Demetrius, 20  
Et admiratus fuerat ingenium viri;  
Vnguento delibutus, vestitu affluens,  
Veniebat gressu delicato et languido.  
Hunc vbi tyrannus vidit extremo agmine:  
Quisnam cinoedus ille? in conspectu meo 25  
Audet venire? Responderunt proximi:  
Hic est Menander scriptor. Mutatus statim

\* \* \* \*

*Artis etiam miseri nobilitantur fama.*

Cum Demetrius rex, qui Phalereus cogno-  
minatur, Athenas opprimeret tyrannide, et  
omnia sub potestatem suam redigeret: vt vul-  
go solent, passim omnes vndique affluunt ita,  
vt ciuium quisque primus ad nouum regem  
suum accederet. Fausta et felicia gratulantes  
precantur omnia. Ipsi etiam ciuitatis princi-  
pes, vt ut publicam sentirent forti victoris  
manu